Typis J. Quillau, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimo quinto Martii 1715.

M. PHILIPPO CARON, Doctore Medico, & Facultatis ex-Decano, Præside.

An Senibus tenuis Diæta?

I.

OMNE vivens acquiescit interitui, nulloque ærario senectus redimenda est; ut antiquos extulit, sic nos trudet. Certum instat uniuscujusque fatum. Id solâ resolutione terminatur. Cuncta, si hominem exceperis, ruunt in exitium, cujus est tempus ineluctabile. At videtur Medici Magistratûs ab altissimo instituta creatio, ut structas omni ætati insidias mortis præcaveat, morbis retinendo, & efficaciùs sanitatem tuetur Diætâ, quâ fœtus, infantes, pueros, adolescentes, ævo consistentes, senes cùm crudos, tùm silicernios pascit, & à pluribus injuriis protegit immunes. Hæc verò sanitatis cultrix scientia non esset ad-

modùm obſcura, niſi Medico incumberet primam hominis compaginem, partium quæ dominantur energiam, alimentorum vires, exercitiorum vices & metas, id genus innumera, intelligere ſolerter.

I I.

SI quæ inter ætates Diæta patrocinium obnixè implorat, maximè ſenilis ætas. Ea ſi quidem apparet corporum ruina, & velut aperta putrilago, mox ſuccedanei lethi conſanguinea. In ſene enim nullæ robuſtæ ſunt functiones; immò eſt ſenectus ætas ultima, effæta calore, algore pigra. Marcet ariditate neceſſariâ; recrementorum uligine copioſâ prægravatur. Annorum certâ contingit viciſſitudine plena malis. Quibuſdam citò & maturè provenit, velut iis, in quibus æſtuat bilis, aut ſanguis redundat, aut ſapientia præcox inſoleſcit, aut victûs ratio ſemper fuit illegitima, aut qui ſunt infauſtis nati parentibus. Qui ſunt aliter & humore & ſpiritu temperati, non niſi ſerò hâc ætatis clade percelluntur. Peſſimè verò cum ſenibus, mortis viam ingreſſis ageretur, niſi legitima vivendi methodus inſtitueretur. Diæta enim, in quantitate & facultatibus alimentorum perpendendis, mala quæ ſenum cervicibus impendent, Medicina vitat.

I I I.

IN caſtris cum hominibus ſævitum eſt nuſquàm acriùs, quàm in culinâ In dies auctus non poteſt percenſeri numerus eorum, quos ingluvies & gulæ condimenta in conditorium proſecuta ſunt. Non vivitur, ut priſca gens mortalium; id quod tantùm palato ſapit acriter, rapidè, indiſcriminatim, tumultuosè, cœco impetu, opinione ſubdolâ, ſepelitur ventribus. Non vivere, ſed vixiſſe videntur homines. Juventus ipſa, ſenectus eſt. Liceat tamen adoleſcentibus, qui nondùm debitæ figuræ ſuſceperunt incrementa, genio paſſim indulgere & robuſtioribus. Suo ita diſ-

cunt damno, ſed nondum inemendabili, uti prudentiâ, quâ diutiùs vivant, ſi non ſtolidi & inſipientes. At ſenibus alimentorum exuperantia prorsùs interdici debet omnis; immò valdè mediocri indigent pabulo. Ætate enim provecti perſpirant minùs. Senes licèt ſani, quâvis die reficiendi ſunt cibis, qui facilè digerantur, qui ordine ſumantur præſcripto. Iis cœnâ prandium ſalubrius eſt ſi ſit ex aſſueto. Sic Antiochus Medicus degens ad ultimam vitæ periodum perennavit ſenſibus integerrimis.

I V.

EA victûs exilitas ſenibus tamen non eſt præſcribenda, quæ per ſolam inediam, Melicratum aut Ptiſanæ ſuccûm ægros infeſtabat; alimentorum immò copia aut parſimonia, ponderanda eſt maximè, ex caloris innati qui ſenes refocillat efficientiâ ſuperſtite. Licèt enim vitæ calidum ità ſenes deſeruerit, ut non magis alimentorum poſſint tolerare, quàm lucernæ humore defectæ oleum affatim affuſum. Tamen quibuſdam ità viridis eſt & vegeta ſenectus, ut pluribus egeant ſuccendiculis. In iis victûs legem ex coctionis felicitate, Medicus, Adjutor, Contemplator & miniſter naturæ, prudenter metietur. At habitâ inclinantis ætatis ratione, ſemper in pleniore magis quàm tenuiore victu delinquitur. Ferunt enim veterani libenter jejunium, non juvenes; quia per inedias ipſorum calor, in conficiendâ pituitâ quæ luxuriat, indeſinenter occupatur. Senile enim quodcumque corpus frigidum eſt. Hinc raro inardeſcit febribus, ægrè concoquit; undè nihil mirum, hâc ſi in ætate obtundatur appetitus cum viribus.

V.

QUISQUIS ſenectæ limen ingreſſus eſt, ſalubri diſciplinæ morem gerere, ſuſpectumque habere debet

vigorem illum, qui brevi elanguescens, post modum concidet. Senibus enim atque juvenibus dispar est omninò vitalis calor. Juvenes qui perspirant magis, majori indigent pabulo, ut reparetur id quod jugiter avolat. At in senibus vietum omne est, perspiratio cum functionibus. Ideò cùm antiqua omnis turba nihil penè possideat, præter juvenilis teporis Empyreuma, necesse est ut legitimo, sed tenui ferculorum apparatu excipiatur. Ita sanitas fit diuturnior, & arcetur aliquandiù, caloris senio fatiscentis extinctio. Optimis igitur debent nutriri senes, sed non satiari cibis. A venere abstineant Iis infaustæ sunt nuptiæ. Duspepta, acida, acria, angue pejora, ut meraciorem Bacchum, fugiant. Vinum, licèt vulgò lac senum, aquâ temperari debet. Epotent vina, sed matura, acidis non aspera, quæ partes roborent, non urant, alimentorum digestionem non lædant, sed juvent. Solidæ enim & fluidæ partes in senectute (quæ ipsa morbus est) effœtæ prorsùs sunt & imbelles. Hâc ætate acescunt liquores & facillimè ferèque in fœces vertuntur; moventur lentiùs; pluribus desident in locis. Hæc dum fiunt, solida perversè oscillantur, arescunt vasa, laxa concidunt, inertes jacent elateres. Sic ex utrâque parte, machina tandem est ruinæ proxima, nisi legitimo victu, id quod superest vitæ, diutiùs & quantùm homini datum est, servetur exactiùs.

Ergo Senibus tenuis Diæta.

Proponebat Parisiis JOACHIMUS-JOANNES COSTAR, Parisinus, Baccalaureus Medicus A. R. S. H. M. DCC. XXV. ab octavâ ad meridiem.

Typis J. Quillau Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.